

*ris habens privilegium usus Pontificalium possit iisdem uti absque eo quod ab antistite de mare fuerit benedictus?*

Et Emmi DD. respondere mandarunt: „Non licere, nisi ab apostolica Sede hoc expresse eidem fuerit indultum.“ Die 24. Maii 1659.

(Anal. J. P. 1863 p. 357.)

c) *Abbatis extra Eccles. sui Ordinis.*

Vd. pag. 612.

*Indulgetur Baptistae Mas monasterii B. M. Virginis de Valdigna Ordinis Cisterciensis Valentinae Dioecesis abbati ejusque in abbacia hujusmodi successoribus in perpetuum, ut pontificalia deferre valeant et in pontificalibus celebrare etiam in aliis Ecclesiis, quae ad ordinem praedictum non spectant.*

Dilecto filio Baptistae Mas monachorum Ordinis Cisterciensis in monasterio B. M. V. de Valdigna Valentinae Dioecesis abbati.

*Pius PP. VII.*

Dilecte fili Noster.

Salutem et apostolicam benedictionem.

§. 1. Sincerae tuae in Nos et hanc sanctam Sedem fidei et devotionis aliisque virtutum meritis, quibus te insignitum esse accepimus, adducimur, ut te paterna benevolentia prosequamur teque tuosque in abbacia, quantum obtines, successores honoribus libenter decoremus.

§. 2. Cum itaque, sicut Nobis nuper exponi fecisti, tu, qui monachorum Ordinis Cisterciensis in monasterio beatae Virginis Mariae de Valdigna dioecesis vel Provinciae Valentinae

abbas existis, privilegio deferendi pontificalia, ut asseris, in Ecclesiis tui ordinis donatus, eadem pontificalia etiam in aliis Ecclesiis, quae ad dictum ordinem minime spectant, eodem privilegio frui posse plurimum desideres,

§. 3. Nos te praemissorum meritum tuorum intuitu specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes supplicationibus hujusmodi inclinati tibi ac tuis in dicta abbacia successoribus in perpetuum, ut in quibuscumque tam saecularium quam regularium Ecclesiis, extra tamen almam urbem Nostram existentibus ac requisita prius loci ordinarii licentia, pontificalia deferre et in pontificalibus celebrare libere et licite possis et valeas dictique tui successores abbates pro tempore existentes pariter possint et valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 1. Januarii 1804.

(Bull. r. Contin. t. XII. pag. 125. Ed. Romae.)

*Facultas celebrandi in pontificalibus in Ecclesia abbatiati sub invocatione sanctae Mariae Virginis de Sanitate pro abbatibus marchionibus de Mari civitatis Januensis.*

Dilecto filio Augustino ex marchionibus de Mari presbytero abbati Januensi.

*Pius PP. VII.*

Dilecte fili.

Salutem et apostolicam benedictionem.

§. 1. Tua virtutum merita cum generis nobilitate conjuncta, ob quae fide digno apud Nos commendaris te-

stimonio, Nos adducunt, ut te tuosque peculiaribus prosequamur gratiis. Expositum Nobis tuo nomine nuper fuit, quod tu qui, ut asseris, in sacro presbyteratus ordine constitutus presbyteralem abbaciam sub invocatione beatae Mariae Virginis de Sanitate in Ecclesia sacris suppellectilibus et sacerdotibus locupletata satisque ampla haud procul et extra istius urbis moenia sita de jure patronatus, ut etiam asseritur, tuae familiae, erectam in titulum obtines, ad majorem Dei gloriam divinique cultus incrementum privilegio celebrandi in pontificalibus in eadem Ecclesia et deferendi pontificalia more abbatum mitratorum frui posse plurimum desideras.

§. 2. Nos te specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, hujus tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, tibi, ut donec et quoad memoratam abbaciam retinueris, pontificalia deferre ad instar abbatum mitratorum atque in pontificalibus in dicta Ecclesia in solemnioribus anni festis tantum celebrare libere et licite possis et valeas, auctoritate tenore praesentium concedimus et indulgemus; itemque hoc privilegium ad abbates successores tuos, qui ex tua familia erunt dumtaxat, non autem ad alios extendimus pariter et indulgemus.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 26. Junii 1819.

(Bull. r. Contin. t. XV. pag. 225. Ed. Romae.)

Vd. *Usus Pontif. h.*

d) *Assistentiam Praestantium.*

Ragusina.

Nomine reipublicae Ragusinae SSmo institutum fuit, ut non obstante decreto novissime edito super usu pontificalium benigne indulgere dignaretur, quod in missis, vesperis et processionibus, quae in metropolitana Ecclesia diebus Purificationis B. M. Virginis, s. Blasii patroni et in funeribus Archiepiscopi et Principis ejusdem Civitatis celebrari solent, abbates ordinis s. Benedicti, qui inibi reperiuntur, pontificalibus insigniis ornati, prout hactenus consueverunt, assistant, cum hoc in magnum majestatis et decoris divini cultus augmentum cedat. Et supplici hoc libello per Sanctitatem Suam ad Rit. Congregationem transmissio EE. Patres eidem congregationi praepositi, ne plurimis similem gratiam petentibus eam obtinendi spes vel minima augeatur vel haec in exemplum trahi praesumatur, connivendum solummodo censuere, ut abbates praefatis usum pontificalium habentes solemniis praefatis pontificaliter ornati interesse possint. Idque oretenus tantum Agenti Rmi Archiepiscopi significandum et in registris S. Congregationis annotandum; decretum autem in authentica forma tradi prohibere.

Die 2. Julii 1661.

(Anal. J. P. 1863 p. 373.)

e) *Non includit baldachinum.*

Lauden.

Praepositus terrae Codonaei Congregationi sacris Ritibus praepositae supplicavit, ut declarare dignaretur: an ipsi usum pontificalium habenti erigi possit baldachinum, quando solemniter celebrat?

Et Emmi PP. negative responderunt.

Die 9. Julii 1650.  
(Anal. J. P. 1863 pag. 311.)

Alexandrina.

Carolus Via abbas Ecclesiae s. Petri Alexandrinae Civitatis S. Congregationi supplicavit, ut declarare dignaretur: An indultum apostolicum usus mitrae et baculi extendatur ad usum baldachini in celebratione missae pontificalis et quatenus non extendatur, ei ex gratia usum hujusmodi baldachini necnon delationem moz-zettae in processibus indulgeat. Et Sacra Congregatio respondit: nul-latenus extendi privilegium ad non expressa, praesertim in casu quo observantia in dies subsequuta, interpretativa literarum apostolicarum, quatenus hujusmodi interpretatio admitti posse videretur, secus firmavit, ideoque oratorem adire censuit pro nova gratia obtinenda.

Die 16. Januarii 1658.  
(Anal. J. P. 1863 pag. 344.)

f) Non includit sedem fixam.

Vd.: *Sedes Dignit. etc.* (fixa decr. 12. Junii 1660.)

g. Expositio Insignium.

Firmana.

Emmus D. Cardinalis Gualterius Archiepiscopus Firmanus institit declarari: an abbatibus aliisque praelatis Episcopo inferioribus nolentibus pontificaliter celebrare competat jus erigendi baldachinum et insignia pontificalia in Ecclesia exponendi diebus ipsis, in quibus alias pontificalibus uti consueverunt?

Et S. Congregatio respondit: celebrantibus tantummodo hujusmodi competere. Die 28. Februarii 1660.

(Anal. J. P. 1863 pag. 361.)

h) Modus, Personae et Tempus.

*Eugen. PP. III. Arnoldo Coloniensi Archiepiscopo.*

Statuimus ut septem idonei presbyteri cardinales in praedicta Ecclesia ordinentur, qui induti dalmaticis et mitris ornati, ad principalia duo altaria ejusdem Ecclesiae, cum totidem diaconis et subdiaconis, quibus sandaliorum usum concedimus, missarum solemniam in festivis diebus tantummodo administrent.

Die 8. Januarii 1151.

(Bull. r. t. II. pag. 565. Ed. Aug. Taur. 1859.)

*Alexand. PP. III. Philippo Coloniensi Archiep. et Canonicis.*

Concedimus et apostolica auctoritate statuimus, ut majus altare Ecclesiae tuae uni et vero Dei, in memoriam beatae Mariae Virginis, et alterum in memoriam beati Petri apostolorum principis dedicatum, reverenter ministrando procurent septem canonici cardinales presbyteri, induti dalmaticis et mitris ornatis, quibus etiam cum totidem diaconibus et subdiaconibus ad hoc ministerium prudenter electis ut utantur sandalibus indulgemus, sicut a patribus et praedecessoribus nostris jam praedictae Ecclesiae concessum est per authentica privilegia et haecenus observatum.

Die 19. Junii 1179.

(Ibid. t. II. pag. 812.)

Praten. Nullus.

Cum alias a SSmo D. N. Paulo V. Philippo de Salviatis moderno praeposito Praten. Nullius dioecesis et successoribus suis in perpetuum usus mitrae et baculi et aliorum indumentorum pontificalium concessus fuerit

cum privilegiis, quae latius in literis apostolicis desuper expeditis continentur; idemque praepositus ad majorem suae dignitatis et Ecclesiae honorem petierit dicta privilegia declarari et in nonnullis ampliari et hujusmodi negotium in Sacra Rituum Congregatione propositum commissum fuerit Illmo et Rmo D. Cardinali Farnesio et S. Rituum Congregatio audita relatione supradicti Illmi et Rmi D. Cardinalis Farnesii censuit: dicto praeposito pro se suisque successoribus posse concedi, ut tam in sua Ecclesia collegiata quam in aliis dictae terrae seu extra suae jurisdictionis Ecclesiis uti possit Pontificalibus et aliis privilegiis sibi jam concessis et etiam in Ecclesiis regularium, de consensu tamen ipsorum, ac sine eorum expresso consensu dum in processibus per dictorum regularium Ecclesias ipsum paratum cum pluviali et mitra transire contigerit. Necnon ut in dictis Ecclesiis possit dictus praepositus, quando non est paratus, uti cappa eodem modo quo in Urbe utuntur Canonici s. Petri, indulgendum censuit et declaravit. Die 20. Maii 1608.

(Anal. J. P. 1863 p. 80. n. 277.)

Vd.: *Cassinenses; Decretum infra sub n. 3207 ad 2 die 8. Apr. 1690; Mitra; Anulus; Chirothecae; Sandalia; Crux pectoralis etc.; Protonotarius apost. (Celebr. in Pontif.); Protonotarius Titular.; Usus Pont. (decr. n. 4651.)*

DECRETUM

*Circa usum Pontificalium Praelatis Episcopo inferioribus concessorum a S. R. C. habita coram SSmo D. N. Alexandro PP. VII. emanatum.*

Die 27. Septembris 1659.

S. R. C. tollendis et eliminandis circa ecclesiasticos ritus, qui irrepserunt, abusibus sedulo intenta post

Episcoporum Caeremoniale evulgatum, (quod quidquid ad ipsos in sacris caeremoniis pertinet abunde praescripsit) idem quoad inferiores Praelatos, qui Pontificalium usu fruuntur, praestandum curare existimavit, ut excessus abolerentur uniformisque inducatur sacrorum Ritus in omnibus et praesertim tempore, quo privilegia ipsi perperam interpretantes obtinentesque parum obsequi student decretis pluries ab eadem S. R. C. hac in rem evulgatis aut ipsa ignorare praetexunt. Quamobrem omnia simul, ut uno conspiciantur obtutu, cogere perque capita dirigere constituit, quo facilius observentur.

1. Super altari, in quo sacrum erunt facturi, septimum nequaquam apponunt candelabrum.

2. *Cathedram*\*) seu sedem fixam et permanentem in Ecclesiis ne detineant sed tribus ipsis diebus, quibus ex antiquis decretis tantummodo Pontificalia celebrare est ipsis permissum, mobili sede seu cathedra utantur, quam nihilominus simplici sericeo panno coloris festivitatis congruentis obducere poterunt, non auro contexto aut phrygio aut basylico opere exornato.

3. *Baldachinum* adhibere supra sedem poterunt non pretiosum aut aureum, sed simplex, et eo, quod altari superimponitur, materia et opere inferiorius; ad ipsam autem per duos tantum gradus in Presbyterii superficie stratos ascendatur.

4. Non abacum alium praeter parvam mensam et in cornu Epistolae parare faciant, in qua duo candelabra cum candelis necnon mitra, calix, missale, thuribulum, navicula et reliqua ad celebrationem necessaria collocentur, prope vero mensam eandem parieti haerens baculus pastoralis appetur.

\*) S. C. n. 2562 die 12. Sept. 1671.

5. Dies\*) vero, in quibus solemniter ipsis operari conceditur, sint de praecepto festivi vel alii, in quibus ipsis pontificaliter celebrare festivitatis ratio exigat, nempe Patroni loci, Fundatoris Ordinis, Tituli et Dedicacionis Ecclesiae. Abstineant autem ab huiusmodi Pontificalium usu in Officiis et Missis Defunctorum, quocumque die etiam festivo et de praecepto.\*\*)

6. Ad Ecclesiam accedentes, licet pontificaliter divina peracturi iisdemque absolutis ab altari recessuri a suis Canonicis vel Monachis (ut mos est Episcoporum) ne associari se sinant.\*\*\*)

7. Praeter duos sacrificii ministros, Diaconum nempe Evangelii et Subdiaconum Epistolae, duo alii tantum Diaconi cum dalmaticis et unicus Presbyter cum Pluviali his assistant. Duo

\*) Vd. decr. n. 4641.

\*\*) Concessionis facultatum utendi Pontificalibus occasione functionis alicujus monachationis pro Petro Lantoval ex Principibus Castri Regalis Abbate mitrato Ord. s. Blasii Dioec. Messan. num. 4014 die 21. Mart. 1733. — *Negative.*

\*\*\*) Vd.: *Dignitas* (associatio); *Capitulum* (associatio); Abbas.

Neapolitana.

S. Rituum Congregatio declaravit, capellanos s. Mariae Patientiae Cesareae nuncupatos Neapolis vel duos saltem ex ipsis etiam in habitu clericali consueto absque superpelliceis non teneri excipere abbatem dictae Ecclesiae ex loco suae habitationis et illum associare ad Ecclesiam, quando in festis diebus accedit privatim in habitu simplici cum subtana et pallio, occasione celebrandi missam lectam vel assistendi in choro ad missam conventualem vel ad alia divina officia, non obstante quod dictus abbas habeat, prout expositum fuit, ex indulto apostolico mitrae et baculi usum, et quoties celebraturus accedit cum rocchetto et mantelleta, excipiat e dicto loco suae habitationis a suis capellanis superpelliceis indutus et ad Ecclesiam associetur. Die 13. Septembris 1670.

(Anal. J. P. 1865 pag. 1165 num. 1898.)

insuper Capellani, qui de Mitra et Baculo, totidem Acolythi pro candelabris inserviant. Praeterea sex alii Canonici vel Monachi, duo scilicet Pluvialibus, duo Planetis totidemque Tuniceis induti Divinis huiusmodi interesse valeant, qui tamen non in sedibus seu stallis choralibus sed in scamnis absque postergalibus panno viridi laneo coopertis situ congruo accommodatis moxque illico removendis considerant.

8. *Mitram pretiosam*,\*) nisi illis a s. Sede indultam, non adhibeant. Sub Mitra pileolum nigri tantum coloris induant. Baculum pastorem albo velo appenso deferant; ab iisque et aliis Pontificalibus etiam de Ordinariorum licentia extra Ecclesias sibi subjectas prorsus abstineant et neque in Processionibus, quae ab eorum Ecclesiis per vias extra ambitum vel parochiam ducuntur, insigniis utantur vel penes se perferri faciant.

9. Regulares rocchetto non deferant, nisi ex tali Ordine fuerint, cui indumentum huiusmodi competat.

10. Invitati\*\*) ad Ecclesiam exemptam nec in illa Pontificalibus uti valeant nec ii, qui non fuerint Abbates perpetui vel benedicti, in propriis Ecclesiis uti privilegio perpetuis Abbatibus vel alias benedictis indulto.

11. Sacras vestes ex altari non sumant, nisi pontificaliter Divinis vacaturis.\*\*\*)

12. Indulgentias impertiri vel publi-

\*) Servanda esse decreta S. M. Alex. VII. super usu Pontificalium a Praelatis inferioribus in controversia nuper orta inter Archiepisc. Ragusinum et Abbates Benedictinos in processione circa Mitras pretiosas et earum usum et modum ponendi et levandi per eorum Clericos. n. 2531 die 28. Febr. 1671. Cf. *Mitra.*

\*\*) S. C. n. 2562 die 1. Sept. 1671.

\*\*\*) Vd.: *Missa priv. Abbat.*

care non audeant absque expresso s. Sedis indulto.

13. *Pontificales Benedictiones*\*) cum trina crucis productione in Missis tantum pontif. necnon Vesperis et Matutinis pontificaliter itidem celebratis licere sibi tantum meminerint. Privatim vero populis, quamvis pleno jure subjectis, nisi expresse ipsis permissum fuerit, etiam Pontificalibus induti per Ecclesiam incedentes benedicere non praesumant.

14. Praesente Episcopo sine speciali sedis apostolicae permissu, etiam pontificaliter celebrantes, a benedictionibus cessent.

15. Si Episcopus aderit, ipsius sedes in cornu Evangelii uno solum gradu eminentior abbatiali est erigenda haecque altero gradu humilior ut dictum est in cornu Epistolae collocetur. A latere Episcopi Canonici Cathedralis, prope Abbatem Canonici vel Monachi

\*) Servandum esse decretum Alex. VII. super usu Pontificalium a Praelatis inferioribus die 27. Sept. 1659 in controversiis ortis inter Episcopum Gerunden. et Abbatem Ord. s. Bened. tam in cantanda pontificaliter missa quam danda Benedictione et aliis faciendis. n. 2545 die 13. Junii 1671. Vd. *Bened. cum SSmo.*; *Benedictio in Matutinis* (decr. n. 3726); *Abbas*; *Regulares* (Bened. papal.)

Caesenaten.

Episcopus Caesenaten. Sacrae Congregationi supplicavit ut ei praecipere dignaretur, quid circa executionem decreti emanati super usu pontificalium praelatis Episcopo inferioribus concessorum per ipsum impleri placeat, cum abbates regulares jactent se a SSmo moderationem decreti ejusdem expetitam sperare. Et S. Congregatio jussit, ut Episcopus executioni mandet decretum, elapso termino sex mensium a die publicationis ejusdem. Et quoad Cassinenses juxta declarationem factam de mense Augusto proxime praeterito, quam proinde typis imprimi mandavit. Die 11. Sept. 1660. (Anal. J. P. 1863 pag. 367.)

Monasterii abbatialis Ecclesiae considerant. Confessionem cum Celebrante Episcopus faciat, isque thus thuribulo imponat. Evangeliorum textum osculetur et populo solemniter (quamvis Abbas ipse pontificaliter celebret) benedicat, Episcopus propterea trino ductu et immediate Canonici Cathedralis duplici, moxque Abbas (nisi celebret) pariter duplici ac subinde Canonici vel Monachi abbatialis Ecclesiae unico tantum ductu thurificentur.

16. Abstineant tamen Episcopi, ubi consuetudo contraria non viget, a frequenti huiusmodi accessu ad Ecclesias exemptas in similibus actibus, ut liberius Abbates valeant suis uti privilegiis.

17. In Ordinationibus\*) Canonico-rum, Clericorum, Monachorum necnon in vestitionibus Monialium et emissionem professionis earumdem, etiam pleno jure subjectarum, in benedictione sacrae suppellectilis caeterisque actibus (Missarum, Vesperarum, Matutinarum solemnibus tribus tantum in anno, ut praefertur, exceptis) neque in Ecclesiis, Oratoriis aliisque locis tam publicis quam privatis quantumvis exemptis eisdemque Abbatibus pleno jure subjectis Mitram, Baculum et quaevis alia pontificalia insignia, nisi de expressa sedis apostolicae concessionem, adhibeant.

18. Ecclesiasticam suppellectilem pro servitio dumtaxat suarum Ecclesiarum vel Monasteriorum benedicant.

19. Reliqua Pontificalia extra loca ipsis Abbatibus subjecta vel pro servitio alienae Ecclesiae aut in subditos pariter alienos, etiam de licentia Ordinariorum, exercere non valeant, puta campanarum benedictionem\*\*),

\*) Vd. supra n. 5.

\*\*) S. C. n. 2562 die 12. Sept. 1671.

calicum et similibus, in quibus adhibetur unctio necnon Minorum Ordinum collationes.

20. Concionatoribus, qui eorum subditis verbum Dei praedicandi onus acceperint, benedictionem elargiri non praesumant, sed Episcopis, quibus jus hujusmodi privative competit, omnino dimittant.\*)

21. \*\*) *In Missis privatis* quoad indumenta, caeremonias, ministros, altaris ornatum et benedictionis largitionem a simplici Sacerdote non discrepent ac proinde sacras vestes induant in Sacristia neque utantur Cruce pectorali, unico sint contenti ministro, aquam cum pelvi et urceolo argenteis sibi ministrari non sinant duasque tantum candelas super altare adhibeant.

\*) Vd.: *Concionator* (bened.); *Praedicator. regul.*

\*\*) *Missae privatae Abbatis, Dignitatum, Canonicorum.* Decr. n. 5209 ad 1. 2. die 21. Junii 1855.

Ravennaten.

Requisita S. Rituum Congregatione ex parte Casimiri Galamini Abbatis titularis Camaldulensis in monasterio Classis istius civitatis Ravennaten. commorantis declarare: An contenta in §. 21. decretorum generalium hujus S. Congregationis sub Alexandro VII. circa usum pontificalium praelatis Episcopis inferioribus concessum observari debeant ab omnibus abbatibus tam localibus quam titularibus, praesertim Congregationis Camaldulensium, non obstante quacumque consuetudine contraria quoad missas privatas introducta? S. eadem Congregatio, ad relationem Emmi Petruccii Archiepiscopo respondit: *Ad mentem* et mens fuit, quod amplitudo tua curet omnino observantiam decretorum praedictorum diei 27. Sept. 1659 editorum. Ita igitur amplitudo tua exequatur sacramque Congregationem de executione certior et diuque felix et incolumis vivat. Romae 13. Aug. 1695.

(Anal. J. P. 1865 p. 1356 n. 2577.)

His autem SSmo relatis et in C. S. R. ordinaria habita cor. Sanctitate Sua per Emmum et Rmum D. Card. Braccatum accurate perfectis et mature discussis Sanctitas Sua ea approbavit et pro omnimoda eorundem observatione typis mandavit imprimi, ad varias affigi et publicari, ut, elapso termino sex mensium a die publicationis eorundem, omnes et singulos usu Pontificalium gaudentes tum saeculares tum regulares, quantumvis exemptos et speciali expressione indigentes afficiant et arctent ac si omnibus et singulis eadem adhibita vel personaliter praesentata, intimata seu notificata fuissent, indulsetque praeterea Locorum Ordinariis, ut auctoritate sedis apostolicae possint imo debeant praefatos etiam per censuras compellere.

Cum nonnulli ex praedictis Abbatibus et Praelatis proprium habere possint territorium juraque episcopalia nullique subdantur Episcopo, qui eos coercere, si excesserint, valeat: eo casu a sedis apostolicae Nuntiis, si aderunt, sin minus ab Archiepiscopis, in quorum provinciis vel ab Episcopis Romano etiam Pontifici subjectis intra vel prope quorum dioecesium limites eorum Ecclesiae vel monasteria sita fuerint, tanquam a s. Sede delegatis ad hujusmodi decretorum observantiam praedicti omnino cogantur. Num. 1856 die 27. Sept. 1659; n. 3138 die 14. Junii 1687; n. 3475 die 5. Julii 1698.

Vigore supradicti decreti posse per Ordinarium Calagurit. prohiberi prout in eo disponitur, usum Pontificalium etiam Abbatibus conventus s. Mariae, sancti Milliani Cucullae, Valturatae Ordinis s. Benedicti aliisque Abbatibus et Praelatis inferioribus dioecesis Calagurit. nisi doceant de legitimo et valide privilegio vel quod

alias sibi legitime competat praedictorum usus. N. 2297 die 22. Novembris 1664.

*Epistola S. M. Bened. PP. XIV.*

*Ad omnes Archiepiscopos, Episcopos, qua commendatur observantia decretorum jussu S. M. Alexandri PP. VII. editorum circa usum Pontificalium servandum ab Abbatibus aliisque Praelatis inferioribus.*

Redme Dom. uti Frater!

SS. Dominus Noster pro diuturno, quo gubernat Ecclesiam, zelo et sollicitudine, animo reputans, quod ea, quae a longo tempore fuerant statuta, quamquam opportunissima et necessaria, ita decursu temporis in desuetudinem abeant et in oblivionem, ut penitus tandem negligantur: ac proinde varios abusus animadvertens inolevisse adversus decreta ab Alex. VII. constituta, praesertim circa usum Pontif. in Congr. habita coram eodem Pontifice anno 1659 idem SS. Dom. Noster nedum opportunum sed plane necessarium duxit praescribere, sicut reapse praescripsit, quod non solum fieret nova praedictorum decretorum in memorata Congregatione editorum impressio, sed etiam quod ad omnes et singulos locorum Ordinarios eorum exemplaria transmitterentur ad hoc, ut pro munere, quod ipsis incumbit, ac pro peculiari studio, quo in res sacras eosdem affectos esse decet, exactam eorundem decretorum observantiam urgeant et compleant eoque magis, quod asserentibus tunc temporis Monachis Cassinensibus, etiam pro aliena Ecclesia ex ap. Indulto, eis licitum esse ecclesiasticam suppellectilem benedicere; et S. C. mandavit usque ab anno 1660 tale indultum authenticum ex Archivio apost. desumptum exhiberi et interim abstinere; nunquam

hucusque fuit ostensum. Et diu felix et incolumis vivas.

Romae die 31. Mart. 1744. Num. 4155.

Consulendum SSmo pro concessione Indulti juxta modum, videlicet, ut liceat Abbati et Archidiacono Monasterii Litticensis Ord. Cisterciens. in Dioecesi Goritiae ejusque successoribus, praeter consuetos dies in decr. Alex. praescriptos singulis annis, tribus aliis vicibus in Ecclesiis sibi subjectis pontificaliter celebrare necnon aliis duobus vicibus in Ecclesiis sibi non subjectis, quatenus tamen ab Episcopo loci Ordinario non autem a Praelato inferiori rogatus fuerit. Item pontif. signa adhibere in pastoral. visitationibus Ecclesiarum sibi subjectarum, nimirum ad absolutionem pro def. et ad visitationem SSmi dumtaxat; praeterea in processionibus pro causa publica infra ambitum et districtum Ecclesiarum sibi subjectarum sol. habendis et in conferenda clericali Tonsura et quatuor minor. Ordinibus subjectis sibi Monachis et in consecratione altarium portatili., patenarum et calicum aliisque benedictionibus, in quibus s. olea adhibenda sunt. Denique ut pro usu Ecclesiarum sibi subjectarum tantum liceat ei benedicere s. indumenta et suppellectilia, cruces, imagines, vasa s. et campanas necnon consecrare calices, patenas et altaria tantummodo portatilia, dummodo tamen, quotiescunque juxta Pontif. rom. sacra unctio adhibenda est, fiat cum oleis et chrismate ab aliquo catholico Antistite benedictis seu confectis. In reliquis serventur decreta. Sanctitas Sua benigne annuit. N. 4352 die 18. Augusti 1770.

*Ad dub.:* Utrum Canonici mitrae et crucis pectoralis privilegium habentes uti possint etiam aldistorio, chirotecis

dalmaticis, sandaliis, palmatoria, gremiali, baculo sine velo pendente, dum sol. celebrant? S. C. resp.: Strictim standum privilegio. n. 4863. ad 2 die 3. Aug. 1839.

*Confirmantur et ampliantur quaedam privilegia Canoniorum Metropolitanæ Lucen. quoad Insignia.*

*Benedictus XIII. Episcopus, Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

*Romanus Pontifex* in supremo apostolicae potestatis Throno, disponente Domino, super universas Orbis Ecclesias constitutus, ad illas praesertim suae indefessae mentis aciem convertit, ut divinus Cultus in eis, ut par est, in dies suscipiat incrementum Ecclesiarumque ipsarum Majestas magis elucescat, singulari sua benignitate personas in eis Altissimo famulantium speciosioribus ornamentis et honorum titulis decorare atque illustrare consuevit, prout Ecclesiarum et personarum earundem qualitate pensata conspicit in Domino salubriter expedire.

§. 1. Cum itaque, sicut accepimus, aliam Ecclesiam Lucanam, quae singularibus insignita praerogativis et conspicuis ornamentis et honorum titulis decorare praefulget, felicitis record. Julius Papa III. Praedecessor noster, extendendo et ampliando literas apostolicas Lucii III., Alexandri etiam III. ac Martini V. Romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum, in quibus Praedecessores hujusmodi, quod tunc existentes Capitulum et Canonici praefatae Ecclesiae Lucanae eorumque successores in certis tunc expressis anni solemnitatibus pluvialibus induti, dum Divinis inservirent, mitram albam sericeam ad instar Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ec-

clesiae Cardinalium gestare possent, respective concesserant, quam pluribus aliis privilegiis et gratiis decoraverit et inter alia eisdem Capitulo et Canonicis, quod ipsi Capitulum etiam in paschalis resurrectionis dominicae, ac Pentecoste et Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi omniumque Sanctorum ac singulis Beatae Mariae Virginis respective festis diebus, seu quoties eos processionaliter aut capitulariter vel ad aliquas Ecclesias civitatis Lucanae in quibusdam Ecclesiarum ipsarum solemnibus, prout moris est, accedere sive in dicta Ecclesia Lucana festa duplicia et Sanctorum corporum in illa degentium solemnibus per eos celebrari seu unum eorum, per quem Missa decantari aut in celebratione vesperarum Pluviale induere contigisset, ad eorum libitum ac modis et formis per praefatos Praedecessores seu alterum eorum concessis seu alias, prout dictis Capitulo ac Canonicis expediens et concedens esse visum fuisset, eadem mitra uti libere et licite possent et valerent Apostolica auctoritate perpetuo per alias literas apostolicas Julii praeced. noster etiam concesserit et indulserit, ac alias prout in singulis literis hujusmodi desuper tunc confectis plenius continetur,

§. 2. Nos, qui Ecclesiarum omnium praesertim Cathedralium privilegia ad hoc ut divini cultus illis decentius et honorificentius peragatur, sarta recta persistere quinimo illa augere concupiscimus, attendentes ejusmodi Ecclesiae Lucanae illiusque Capituli et Canoniorum praefatorum decori consulere ac eosdem Capitulum et Canonicos amplioris gratiae favore prosequi volentes ipsosque et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a jure vel ab homine

quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutos fore censentes, motu proprio, non ad eorum vel aliorum super hoc pro eorum parte Nobis oblatae petitionis instantiam, sed ex certa scientia meraque deliberatione ac liberalitate nostris deque Apostolicae potestatis plenitudine concessionibus et indulta favore Capituli et Canoniorum per praefatos Praedecessores, ut praefertur, emanatas et emanata et super illis eorundem Praedecessorum desuper, ut praefertur, expeditas literas illarum tenores etiam veriores praesentibus pro plene et sufficienter ac de verbo ad verbum expressis habentes Apostolica auctoritate praefata etiam perpetuo confirmamus et approbamus omnesque et singulos tam juris quam facti defectus, si qui desuper in concessionum ac indulgentiarum hujusmodi obtentu forsitan quomodolibet intervenerint, Apostolica auctoritate praefata plenarie supplemus illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus.

§. 3. Ac insuper concessionibus et indulta hujusmodi per Nos, ut praefertur, confirmatas ac approbatas ac confirmata et approbata, in Praedecessorum hujusmodi literis, ut praefertur, expressas et expressa pro praefatis Capitulis ac Canonicis, videlicet, quod post pontificalem majorem ac secundam, tertiam ac quartam in praefata Ecclesia Lucana dignitates respective obtinentes ac omnes et singuli Canonici ejusdem Ecclesiae Lucanae, etiam nunc et pro tempore existentes de cetero perpetuo futuris temporibus in praefatis anni festivitatibus et aliis temporibus ac ecclesiasticis functionibus in praefatis literis Praedecessorum hujusmodi expressis etiam absente Episcopo usu omnium Pontificalium

ac omnibus insignibus abbatibus ac cruce, anulo et baculo aliisque paramentis et indumentis ad instar Abbatum usum mitrae et baculi habentium gaudere necnon in suis armis et insignis mitram et baculum apponi facere et addere, necnon populum inter missarum et officiorum divinarum hujusmodi aliarumque ecclesiasticarum functionum praefatarum solemnium de concensu tamen Ordinarii benedicere, prout dicti Abbates usum mitrae et baculi habentes supra populum solemnem Benedictionem impertiri solent, libere et licite possint et valeant seu quilibet eorum, possit et valeat, dicta Apostolica auctoritate etiam perpetuo extendimus et ampliamus et quatenus opus sit, praemissa omnia de novo concedimus et indulgemus.

Datum Romae apud s. Petrum Cal. Martii 1725.

(Bull. r. t. XIII. pag. 209. Ed. Luxbg.)

*Benedictus PP. XIV.*

*Usus Pontificalium Capitulo et Canonicis Ecclesiae Archiep. Urbinaten. concessus.*

*In Throno justitiae* super omnes gentes divina dispositione collocati ad ea potissimum, quae ab Ecclesiarum praesulibus pro extinguendis in Ecclesia Dei exortis abusibus utiliorique commissi gregis gubernio provida ratione prius ordinata et postea a Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. C. Cardinalium Almae Urbis Congregationibus, quae vocis nostrae organa sunt, decreta fuerunt, sollicitudinis et vigilantiae nostrae curae libenter convertimus, illaque dum divino cultui pastoralique dignitati prodesse comperimus, Apostolicae nostrae confirmationis robore communimus, prout arbitramur in Domino salubriter expedire.